



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Graden. Patriarchae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

*ATREB ATEN. EPISCOPO
& Cameracen. electo.*

*Epiſ. 161.
Vt concordia
iusta, & bona
fide interposita
transactio ob-
tinetur.*

VIris religiosis, & his præcipiuè qui beati Benedicti regulam sunt professi, non credimus expedire, ut ocio claustralí postposito, contra instituta sui ordinis discurrant per curias seculares, aut secularibus negotiis involvantur. Inde est quod nos dilectorum filiorum Abbatis & Conventus sancti Vedasti Atrebaten, religioni & honestati consulere cupientes, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus, si nobiles viri Comes Aionien. & Betunen. Advocatus à compositionibus quas idem Comes cum eisdem fratribus super possessionibus de Haspra. & pater præfati Advocati super possessionibus de Saillis & earum appendiciis voluntate propria inierunt, temerè resilire voluerint, eos ad observationem compositionum ipsarum, sicut sine pravitate factæ sunt & ab utraque parte receptæ, à nobis etiam confirmatae, monitione præmissa per distinctionem ecclesiasticam appellatione postposita compellatis. Nullis literis &c. ut suprà. Datum ut suprà.

*REMEN. ARCHIEPISCOPO
sancte Sabina Cardinali, & Abbati
sancti Remigij, & Decano Remen.*

*Epiſ. 162.
Vt Novio-
menum Epis-
copum tertia
decimam
parte conuen-
tum esse & ve-
natione mona-
sterij S. Veda-
sti abstinere
jubent.*

Significantibus nobis dilectis filiis Abbate & Conventu sancti Vedasti nostro est apostolati referatum, quod Martinus quondam ejusdem monasterij Abbas tertiam partem decimationis de Moilaivis & de Ermaldmensil ab R. quondam Noviom. Episcopo recepit ad censum, & ei tantam se redditurum promisit annis singulis pensionem, quod reliqua duæ tertiae cum illa tertia vix sufficiunt ad solutionem ipsius, unde Ecclesia beati Vedasti jacturam enormem dicitur incurrisse. Propter quod venerabili fratri nostro Noviom. Episcopo dedimus in mandatis ut illa tertia parte decimationis prædictæ (sicut justum est) de cerero sit contentus, & Ecclesiam ipsam super exactio- ne præmissæ pensionis amodo non molester. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus si supradictus Episcopus mandato nostro parere noluerit, & præmissis veritas suffragatur, vos auctoritate nostra suffulti memoratum Episcopum sua tertia ma-

nere contentum, & ab Ecclesia supradictæ super exactio- ne pensionis illius molestatione cessare, sicut justum est, monitione præmissa per distinctionem ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Si qua vero partium legitimè citata &c. facientes quod decreveritis &c. Nullis literis &c. ut suprà. Quod si omnes &c. tu frater Archiepiscope cum eorum altero &c. Datum ut suprà.

*ELECTO C A M E R A C E N S I,
sancti Auberti & sancti Gilleni Abbatibus
in Cameracen. dioceſi constitutis.*

VT loca religiosa & fratres in eis di- vinis obsequiis deputati violentiae non subjaceant laicali, sed instituta sui ordinis colant potius in quiete, specialis est eis gratia facienda, ne pro sui juris defectu secularibus immisceri negotiis compellantur, & ad curias discurrere seculares. Hac igitur consideratione induci, dilectis filiis Abbatii & Conventui sancti Vedasti Atrebaten, providere volentes, discretioni vestrae per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus si de malefacto-ribus suis per diocesanos Episcopos justitiam non potuerint obtinere, vos post trinam admonitionem eisdem Episcopis factam, malefactores eorundem fratrum ad exhibitionem justitiae per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellatis, facientes quod decreveritis per distinctionem ecclesiasticam inviolabiliter observari; nec sententiam in eos latam à vobis, nisi damna & injurias passis prius fuerit satisfactum, aliquis audeat relaxare. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut cum ab eodem Abbatie & fratribus fueritis requisiti, ad eorum monasterium accedentes, quæ corrigenda fuerint in capite vel in membris, auctoritate freti apostolica corrigatis. Nullis literis &c. ut suprà. Quod si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum.

GRADEN. PATRIARCHÆ.

Constituti in præsentia nostra dilecti filij Iacobus & Olivierius numeri Clericorum plebanatus de Quinto, & dilectus filius Archidiaconus Tarvisinus, pro causa quæ inter ipsos ex una parte & Archidiaconum memoratum ex alia super jure ipsius archidiaconatus fuerat agitata, & tandem ad nos per

*Epiſ. 163.
Vt Episcopos
per centurias
compellant
monasterium
S. Vedasti con-
tra suos adver-
fatos jure tue-
runtur.*

*Epiſ. 164.
Vt causam Ar-
chidiaconi Tar-
visini contra
Clericos de
Quinto jure
dilemitur.*

appellationem delata, diffinitioni ejus contrariis affectibus intendebant, & cum vellent adinvicem litigare, dilecti filium G. SS. Cosmae & Damiani Diaconum Card. ipsis concessimus auditorem. Cumque partes in ejus essent praesentia constituta, praedicti nuncij pro ipsis & parte sua firmiter afferebant quod causa eadem post tractatum diutinum amicabili tandem fuerat compositione sopita: quam quidem Archidiaconus juramento, Episcopus vero sub pena mille librarum se promiserat firmiter servatum. Ex adverso autem praedictus Archidiaconus proponebat quod cum videret partem adversam sibi super observatione compositionis factae molestiam irrogare, bona mem. Clementi Papae prædecessori nostro suam curavit proponere quæstionem: qui tandem ipsum à præstito juramento post causæ cognitionem absolvit, & licentiam ei dedit ut archidiaconatus sui jura, non obstante compositione illa, prosequi non cessarer; praesertim cum eam præfatus Episcopus non servasset, & tam ipse quam plebani soci ejus super hoc contra mandati apostolici formam eum plurimum molestassent. E contra præmissi nuncij affirmabant quod Episcopus suus contra compositionem non venerat, immo ipsi Archidiacono querenti responderat quod paratus erat facere quod deberet, sicut per instrumentum publicum ostendebatur, & quod Archidiaconus contra juramentum licitum ac sponte interpositum nulla debuisset ratione venire. Et si forte sibi esset aliquo modo (quod non credebant) indulsum, prius quam contra compositionis formam præsumperat, emendare penitus tenebatur, quam statueretur aliquid super negotio principali. Ceterum cum in praesentia Card. praedicti diutiis litigassent, tandem auditis per eum quæ duxerant proponenda, fratum nostrorum consilio habito diligenter, causam ipsum sub certa forma tuæ fraternalitati duximus committendam, per apostoli scripta mandantes, quantum utramque partem ad observationem compositionis prædictæ (quam licet esse comperimus, & ideo juramentum pro ipsis observatione interpositum censuimus fore servandum) non obstante absolutione prædicta, quam credimus per subreptionem obtentam, per censuram ecclesiasticam sublato appella-

tionis obstaculo compellere non omittas, in irritum apost. auctoritate reducens si quid contra compositionem prædictam per prædictum Archidiaconum cuiuslibet auctoritate rescripti noveris immutatum. Si quid vero postmodum inter eos fuerit quæstionis, partibus ad tuam praesentiam convocatis audias, & illud appellatione remota debito fine decidas. Volumus præterea nihilominus & mandamus, quatenus Clericos & laicos, qui occasione quæstionis prædictæ, quam cum Archidiacono habuerunt, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sunt vinculo innodati, secundum Ecclesiae formam absolvias; illos qui ipsis bona sua per violentiam abstulerunt, ad restitutionem eorum, sicut justum fuerit, ecclesiastica censura remota appell, compellens, & non permittas quod ipsis super beneficiis suis gravamen vel aliqua molestia ab aliquo indebitè inferatur. Illos vero quos Ecclesiæ violasse & manus in Clericos temerarias injecisse constiterit, tamdiu facias sicut excommunicatos ab omnibus arctius evitari, donec passis injuriam &c & cum testimonio literarum &c. Datum ut supra &c. i v. Idus Maij.

ARCHIEPISCOPIS ET ALIIS
Ecclesiaram Prælatis, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & aliis nobilibus viris, & universis Christi fidelibus ad quos literæ istæ pervenerint.

CVm ad capiendas vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, species quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum, & haereticos ab fideliis confortio excludendos, dilectum filium fratrem Rainerium, potentem divino munere in opere & sermone, & cum eo dilectum filium fratrem Guidonem, virum Deum timentem & vacantem operibus caritatis, ad partes vestras duxerimus destinandos, universitatem vestram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus eos benignè recipientes pariter & devotè, contra haereticos ipsis potenter & viriliter assistatis, eis consilium & auxilium impendentes. Verum quia frater Rainerius pro arduis Ecclesiæ negotiis in Hispaniam de mandato processit

Epiſt. 10.
Vt communi-
tiſſis apoloſiſ
contra haereti-
cos auxilio
ſint.